

AB

136170

als OT ^{lo}
ws
Aspern

CARMEN
ELEGIACVM AD
P.RVIDENTISSIMVM
OMNIVMQUE VIRTVTVM LAV-

*de præstantem: Heruordianæ ciuitatis Sc-
natum, de instauranda schola,
scriptum*

ab

ALBERTO LENICAE-
ro Heruordiano.

AD LECTOREM.

Non rigida sed mente pia uerumq; probante,

Accipe primitias Lector amice meas.

Non opus, at potius nostra est spectanda uoluntas,

Qua cupimus studijs consuluisse sacris.

VVITE BERGAE
excudebant Hæredes
Petri Seitzij.

1554.

In Momum.

Quid dentes acuis rapidos stolidissime Mome?

Materia est certe morsibus apta tuis.

Mille modis carpas carmen licet improbe nostrum,

Vsq; tamen laudes, quas decet, illud habet.

Non es contentus iuuenum lacerare labores,

Sed iacis in studium spicula multa senum.

Zoile crede mihi Stygijs prognate colubris,

Ingenij satis est uis mihi nota tui.

Scilicet egregios didicisti fundere uersus,

Diues es eloquio, diues es ingenio.

I bibe, quid cessas, Erebeæ pocula letches,

Helleborum uates ingeniose bibe.

Non tibi, iucundis sed amicis scripsimus ista,

Sit tibi cura tui, sit mihi cura mei.

Deniq; si docto placuit labor iste Philippo,

Iudicium sperno liuide Mome tuum.

Ergo parue liber patriam fœliciter urbem,

Tange, tuam flectat Christus Apollo ratem.

Inuidiae spernas ducente Melanthone morsus,

Ille tibi uindex, ille patronus erit,

INTEGRIMIS AC
PRUDENTIISIMIS VI-
ris, Consulibus ac Republicæ Her-
fordianæ Senatoribus uigilantissi-
mis, Dominis suis clemen-
tissimis.

Gratiam ac pacem a Domino no-
stro Iesu Christo.

PVLchre' profecto de Vlysse, per
decennium, post captam Troiam,
errante dicitur:

Non parua est Ithaci sapientia, sed tamen optat
Funum de patrio posse uidere foco.

Sic ego quoq; de me (absit inuidia
dictis) hoc omnium turbulentissimo
tempore dicam:

Sim licet imprudens iuuenis, tamen opto precorq;
In patria doctam posse uidere scholam.

In tota enim nostra uita, quam pe-
regrinationem pulcherrime Jacob, &
Plato ὄνκ αλκηθῶς Βίον, ἀλλα συμφοραν
scitissime nominat, nullum maius or-
namentum aut decus est, quam cum
A 2 scholæ,

scholæ, in quibus iuuentus de Deo,
alijsq; artibus in communi societate
utilibus, eruditur atq; docetur, bene
institutæ, ac doctis fidelibusq; præce-
ptoribus ornatæ sunt, quas cum inter-
cidere ac negligi uidebimus, certissi-
me iudicandum, totam istam Rem
publicam turpissimam ruinam minari.
Scholis enim extinctis, quæ nutrices
Ecclesiarum sunt, totum Euangeliū mi-
nisterium, quod Deo doctisq; uiris
nititur, languescet, ac plane ab ingra-
tis istis Cyclopibus auferetur, qui, ut
Gryllus apud Homerum in furore
isto ueteri, ac Barbarica caligine poti-
us hærere, quam ad saniorem mentē
conuerti expetunt.

Hac autem ratione timendum est,
ne Deus a gentibus quas per meram
gratiam, ad Euangeliū uocauit, agni-
tionem sui auferat, & rursus in den-
sissimas tenebras, in quibus totæ quon-
dam hæserunt, abiçiantur. Inquit. n.
Christus ipse Matth. 8. Venient ex
Oriente & Occidente, & sedebunt cū
Iacob, Isaac in regno cœlorum, filij au-
tem

tem regni in tenebras, quæ foris sunt,
abijcentur, quoniā (ut Paulus inquit)
Dilectionem ueritatis non habuerunt,
quare non immerito datur ījs, qui tan-
tæ utilitatis fructus agnoscunt, Sic ac-
cidit tempore Ionæ Prophetæ, qui sub
imperio Ieroboam populo Israēlitico
gratiam & pœnitentiam prædicaue-
rat, Israēl autē ab' Idolatria sua, ad ue-
rum cultum & uerbum Dei retrahit
non uoluit, donec dereliquit omnes
Dominus, ut seipsoſ conficerent, &
capti in Assiriam abducerentur. Quia
uero & nos ingratí sumus, & perfricta
fronte, gratiam Euangeliū, quæ nobis
illuxit, contemnimus, nostræq; stulti-
ciæ apertissima inditia, uestitu, gestu,
uerbis, alijſq; innumeris petulantiaæ
generibus edimus, timendum est, ne
luce diuinitus reuelata, priuemur, ac
genti agnoscendi fructus eius done-
tur. De his tantis rebus cogitantes,
uiri prudentissimi maiorem scholarum
curam, habeamus, & iuuentutem no-
stram ad agnitionem Dei, aliarumq; bonarum artium cognitionem duca-
mus assuefaciamusq;. Chri

Christus caput Ecclesiæ , inquit :
Sinite pueros ad me uenire, sed, quo-
modo, pueri ad Deum, sine fideli ma-
gistrorum institutione, uenient, a qui-
bus in primis Ecclesiasticæ doctrinæ
articulis instituantur, ut se in posterum
prauis doctrinarū corruptelis et fanati-
corum hominum furoribus opponere
fortiter audeant. Quid magis in hac
effœta & delira Ecclesiæ senecta, ne-
cessarium est , quam ut aliqui docti ac
bene instituti , in doctrina de essentia
ac uoluntate Dei , furoribus Anaba-
ptistarum , deliramentis Papistarum ,
blasphemij Mahometistarum, figmen-
tis Osiandricorum , fortiter ac indeci-
nenter repugnant.

Quanta opinionum confusio in to-
ta Vuestphalia, imo uniuersa Germa-
nia ex Enthusiasmo Anabaptistarum
Monasteriensium orta fuisset , ni De-
us singulari modo bonos ac pios ali-
quos Principes ac Doctores exuscis-
tasset, qui doctrinam eorum ut falsam
& alienam a fundamento reieciissent,
euers-

euertissentq; : Quo tempore ante annos 20. Cattorum Princeps ingenio excellens dixit : Nunc se magis intelligere, quantum opus sit literis & eruditione, ad seruandos certos libros & nativam sententiam, Quia si non regeretur Ecclesia certis librīs , & nativa enarratione , fanaticos & audaces homines quotidie noua portenta exco gitaturos esse, & gloriaturos, se afflatu diuino seu entusiasmo regi.

Pulchre quidem Paulus inquit : Quomodo audient sine prædicante ? quo dicto quid Paulus aliud uult, quam ut ministerium Euangeliū nobis commendet, & Deum per hoc efficacem in pījs esse ostendat? Si ergo ministerium Euangeliū necessarium est, quare non maiore reuerentia ac diligentia scholas , in quibus iuuentus de Deo tribus linguis, alijsq; honestis artibus instituatur, amplectimur? Magis que reueremur Euangeliū ministros : ac scholarum doctores , quo ordine .

A 4 proh -

proh dolor, in hac communi uita nihil
contemptius abiectiusq; esse uidemus,
Sed cum necessaria sit, scriptæ doctrinæ
cognitio, certum habeamus, labo-
res docentium & discentium Deo pla-
cere ac gratos esse, & eum clementer
hunc artium coetum defensurum, ac
certas quasdam politias, quæ earum
hospitia sint, daturum.

Ego uero amore carissimæ meæ
patriæ (quam Deus diu tranquillam
ac hospitium Ecclesiæ, seruet) addu-
ctus, uos Reipublicæ antistites adhor-
tor, ac per amorem, quem cum Deo,
tum patriæ debetis, obtestor, ut Eu-
angelij ministros, una cum scholis, Ec-
clesiarum custodibus, maiori cura fo-
ueatis, ac uestram scholam aptissimo
loco sitam, instaureatis, ac iam nutan-
tem, fulciatis. Qua uero ratione hoc
fieri uelim, & uobis ingratum, & mihi
odiosum est, in medium adducere.

Non putabitis certe uicum ^{τεροστι-}
^{λιας}, infimum esse Ecclesiam scholis,
thesauro

thesauro præstantissimo, spoliare, quod
ubi fieri uidebimus, non dubium est,
quín tota sacrosancta Biblia, in quibus
doctrina de essentia & uoluntate Dei,
patefacta est, pereant ac prorsus in-
tercidant. Christe Iesu, fili Dei uiui,
quantæ tunc tenebræ, ac caligines ori-
entur & quot animæ tantis donis, per
magistratum priuatæ tempore iustissi-
mi diei Domini lugebunt ac lamenta-
buntur, quod uerum Deum non ag-
noscere & recte inuocare potuerunt.
Væ uobis Regibus. Væ principibus,
Væ uobis qui ad clauum Reipublicæ
sedetis, qui scholas doctrinarumq; stu-
diosos non nutritis, qui Euangelij do-
ctrinam, ex arcano sinu æterni patris,
supra & extra conspectum humanæ
rationis prolatam, non conseruatis, quā
filius Dei æterni patris λόγος, οὐκ εἰ-
κὼν, pro nobis speciosissimo suo
sanguine obsignauit, qui linguarum
cognitionem, quas idem Iesus Chri-
stus pro nobis uictima in cruce pen-
dens initiauit, non respicitis ac propa-
gatis? **Vos quæso uiri prudentissimi,**

A 5 eru

erudimini & osculamini Filium, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.

Memores Prophetæ dicti estote: Reges erunt nutritores tui, Reginæ nutrices tuæ, & scholas Euangelijsq; ministros, quorum pedes speciosi appellantur, pro uirili uestra parte nutrite, eorumq; curam, ut Dei uicarij suscipite, Sic Respublica uestra fœlix erit, sic Dominus ciuitatis uestræ uigilantissimus erit custos, sic uidebitis bona Ierusalem, & pacem super Israel. Sed opes quibus scholæ moderatores alantur commode, deesse conquerimini. Quid c; unde altissima mœnia, profundissimas fossas, & alia quæ ad nominis maiestatem pertinent, extruitis? Num his omnibus magis opus, quam templo Domini uiuentis, habebitis? Primo quærите regnum Dei, sic cætra adiūcentur uobis, & Quicunq; desiderit aquam minimo ex meis, mercudem suam non perdet.

His similibusq; rationibus admoniti, Con-

ti, Consules prudentissimi, & Senatores integerrimi, munera uestri, ad quod, à Deo ordinati, & unde dij uocati estis, memores estote, & tum schola tua Ecclesiae optimorum & Reipublicae amantissimorum ciuium officium & studium præstate. Semper etiam hanc pulcherrimam picturam boni Magistratus in cōspectu habete, quod laudatissimum Regem Neapolitanum Alfonsum ferunt, more principum, suo quodam symbolo delectatum fuisse, ac passim pinxit Pelecanum fodientem rostro pectus, & eliscientem sanguinem ad pullos pascendos, & huic picturæ Epigramma addidisse, pro Lege & pro grege, quo procul dubio Rex ille sapientissimus significauit, bonum gubernatorem uestro ac paterno animo suos debere complecti, debet enim illi beata ciuium uitia proposita esse, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, & uirtute honesta esse possit. Quod si & uobis proposueritis, in omnibus rebus presentissimum Dei auxilium experienti.

Cara

Carmen uero meum , quod de in-
stauranda schola ad uos dominos me-
os clementissimos scripsi, eo, quo decet
animo suscipite , quod , ubi fieri uide-
bo,in posterum ardentissimas mihi fa-
ces ad maiora tentanda, subiicitis.

Te inuoco fili , Dei uiui , crucifixe
ac resuscitate pro nobis , qui sedes ad
dextram Patris , ut des dona homini-
bus, rege, iuuua ac guberna nos Spiritu
sancto tuo , accende cor & animum
nostrum, ut te uere agnoscamus & in-
uocemus, reple leticia & gaudio corda
nostra, ut affatim quod satis est haben-
tes, abundemus in omne opus bonū,
collige tibi inter nos æternam Ecclesi-
am, à qua in omni æternitate, agnos-
caris , inuoceris & celebreris , da ali-
quas politias , quæ sint hospitia Eccles-
iae & scholarum, conserua patriam no-
stram ab omni hostili incursu,tranquil-
lam,ut te glorificet,ac doctrinam tuam
ad posteritatē propaget, Amen. Vui-
tebergæ die 29. Octob.

V. D. obsequenssimus

Albertus Lenicærus
Herfordianus.

CARMEN ELEGIA,
CVM ADPRVDENTISSIMVM OM-
niumq; uirtutum laude præstantem:
Heruordianæ ciuitatis Sena-
tum de instauranda schola,
scriptum.

CVm Musas uideam, quas olim nostra colebat
Patria, cum tectis mox perisse suis.
Me natalis amor terræ, nec ficta cupido,
Carmine uos tenui pauca monere, iubet.
Hæc etenim lachrymas, niueos turbata capillos
Nostra nimis misero fudit ad ora, sono.
Cumq; meis inhians studijs spaciarer ad undas
Nuper arenosas Herbifer Albi tuas.
Protinus occurrit patriæ mihi dulcis imago,
Squalida tota pedes, squalida tota caput.
Pectora plangebat fœdatis mœsta lacertis,
Præ fletu potuit uerba nec ulla loqui.
Donec forte meis iterum relevata, loqueliſ,
Quin loqueris, dixi, pectore quicquid habes?
Quid titubas? moderare graues cum fletibus iras,
Non formæ gemitus conuenit iste tuæ,
Hei mihi, non leuis est lachrymarū causa tuarum,
Quodq; malum portas spe mihi maius erit.
Illa suos moderans gemitus, lacrymasq; remittens
Reddebat dictis talia dicta meis.

Fili,

Fili chare, mihi, mea spes, mea sola uoluptas,
Quem paui mammis uberibusq; meis.
Cuiq; Medusæas primum monstrauimus undas,
Quæ sunt Ambrosiæ pocula sola iouis.
Qui modo Leucoream missus studiosus in urbem,
Egregios cupido suspicis ore, uiros.
Et sequeris sacras ductore Melanthone musas,
Qui fama est saxis altior Octa tuis.
Quiq; est à terris hinc usq; ad sydera notus,
Inter & Eoas Occiduasq; plagas.
Accipe luctisonam quam fundo, nate, querelam,
Maxima longinqua tu mihi causa uiæ.
Non huc uela dedi, quo Saxona rura uiderem,
Oppida, sunt terræ fertiliora meæ.
Nec ueni tanquam spectatrix Albidos undæ,
Aut si quas alias possidet Albis opes.
Causa uiæ grauior nostræ est, heu fletus ab ore,
Et lacrymæ, quoties hæc reminiscor, eunt.
Collacrymant tristes Musæ, suspirat Apollo,
Indignata caput casta Minerua mouet.
Sed mandata iubes mentis me exponere nostræ,
Ut sis aduentus certior, ipse, mei.
Hei mihi quæ dura multorum mole malorum
Opprimor, ora petit mœsta ruina, mea.
Tu mea, ni fallor, nutantia tempora cernis,
Tuq; uides domui damna futura mee.
Ecce grauem casum Respub; nostra minatur,
Maxima Vuestphalico quæ prius orbe fuit.

Roma

Roma uelut Latii sua prætulit urbibus ora,
Conspicuum domiti cum caput orbis erat;
Sic se Vuestphalicis Hersfordia prætulit una
Urbibus, ex merito his anteferenda fuit,
Anteferenda fuit multis, dum sacra souebat
Musica, pegaseas dum coluitq; Deas.
Dum posuit sacris altaria plena camoenis,
Doctorumq; fuit dum studiosa uirum.
Quam potuit fœlix quam terq; quaterq; beata,
Quamq; aliqua nulli parte secunda canis
Tunc mea fulgebant aurato mœnia cultu,
Atq; mihi incolumis tunc domus omnis erat.
Et mea cingebant uictrices tempora palmæ,
Pacis amans nostrum texit oliua caput.
Nullus erat belli rumor, metus abfuit omnis,
Multæ ferens cunctis pernicioſa locis.
Sed furiæ diro uinctæ cum marte iacebant,
Ciuibus alma meis paxq; quiesq; fuit.
Tunc ego secura foui mea uiscera, natos
Pace, scholis fuerant tuta Theatra pijs.
Scandebant teneri Musarum prata puelli,
Hæc placuit summo cura laborq; Deo.
Thuricremæ stabant decoratæ floribus aræ,
Purus erat ueri cultus honorq; Dei.
Hei mihi, cum ueteris retracto gaudia uitæ,
En patet in lacrymas, area lata, meas.
Et dolco quod sic Phœbeia castra peribunt,
Quæ fuerant omni digna manere dic.

Ergo

Ergo semper amans nostræ Lenicære salutis,
Imprimis patriæ sit tibi cura tue.
Nunc age, nec cesses, patriæ succurre dolenti
Et me quamprimum qua potes arte iuua,
Arripe cum calamis tua musica plectra sonoris,
Non tua, producet carmen inane, Chelys.
Hoc te per patriæ leges, & iura rogamus,
Expetit hoc nostri quo retineris amor.
Gloria magna fuit, clari uirtutis Ulyssis,
Errantis uasto per duo lustra mari.
Ille tamen patrios per marmora lata penates,
Quærit, & amplexus Penelopea, tuos.
Asserit hos certe pugnaci & uindice dextra,
Haec fuit Heroo gloria digna uiro.
Ergo perpetuis celebratur laudibus, illi
Mæonij hoc uatis Graia Camœna dedit.
Quam studiosus erat patriæ Telamonius Aiaxe
Quam natalis amans Martius Hector erat
Ante præteream nunc facundissime Tullie
Quem dictum patriæ nouimus esse patrem?
Quantum fortis eques facinus tentauit in urbe
Curtius, ut semper patria salua foret?
Hanc equidem uere est generosæ mentis amare,
Hanc uestro semper Marte iuuare decet.
Ergo me tristi quantum datur cripe damno,
Quæq; uenire uides pelle pericla procul.
Tu mihi nutanti succurre, leuaq; ruentem,
Conualeant longa, ne mala nostra, mora,

Me

Me grauis insani Martis circumsonat horror,
Armaq; crudelis dira minatur eques.
Audet enim de me tumidis ita dicere uerbis,
Herfortum nostra mox capicre manu.
Scilicet in placida tua lumina pace quierunt,
Nec graue ballistæ mœnia uertit onus,
Hæc tibi perpetuo duxisti, tuta futura
Tempore, falleris, mens tua læua fuit,
Spes mea clamasti, Deus est, mea tuta manebunt
Mœnia, bella Deus pro quibus ipse geret,
Ille manu Clypeum forti reget, arma capesset,
Atq; ego sub scuto tuta iacebo suo.
Mille, licet, mittant, in me sua spicula Caci,
Me tamen his nunquam deperiisse uolet.
Hæc iactabundis quoties Herfordia buccis
Dixisti, fœlix sis quasi sola, Deo.
Attamen arma breui, fauacat Mars, nostra uidebis,
Et tua bellisonus mœnia cinget eques.
Tunc cum Gymnasio, sacras, uastabimus, ædes,
Querendus nobis est Deus iste tuus.
Tunc medijs uictor muris tibi quisq; loquatur,
Nunc Deus ille, tuæ cura salutis, ubi est?
Vis ubi nunc animi generosa? ubi scuta Deorum?
Cur te sic tristis deprimit anxietas?
Sic ferus insultans loquitur mibi miles & hostis,
Atq; audita dolent, auribus ista, meis.
Non tamen abiicio, constantem pectore mentem,
Me tua grane Dei dextera magna teget.

B

Perfero

Me



Perfero cuncta libens, domino confisa Tonanti,
Vnde salus ueniet præsidiumq; mihi.
Tu Deus es nostræ rupes & petra salutis,
Es pater, oblitus nec potes esse mei,
Tu tua cœlesti seruabis templa fauore,
Tranquillum reddes, hospitiumq; scholæ.
Quam tamen o nostræ fautor Lenicære salutis,
Iam, iam tacturam tartara nigra, putes,
Ingenue fatear, uerumq; fatebor, honeste,
Non est cui curæ debuit esse schola.
Sordida tota iacet, dolet herbifer, ecce, Vagernus
Cumq; pijs Pallas ciuibus alma dolet.
Quisq; suis inhiant, & commoda publica spernūt,
Onimium proprij, nescia turba, boni,
Ergo Magistratum moneant tua carmina, nostrū,
Respiciat cura quo meliore scholam.
Ne mea perpetuis disrumpam fletibus ora,
Viuere sed placida, pace quieta queam.
Te moueant igitur, nostri Lenicære dolores,
Quæq; mouent superos te moueantq; preces.
Hæc ubi dixisset, uacuas uanescit in auras,
Flectit ubi celeres, iuncifer Albis aquas.
Me patriæ fateor, pia delectabat imago,
Sed queruli nimium displicuere soni.
Quid facerem timido dubitavi pectore primum,
In dubio nobis mens animusq; fuit.
Omnia uos equidem, melius me scire loquebar,
O noti summa religione uiri.

Ergo

Ergo quid in sylvas lignum, quid in æquora portem
Flumina, cur frustra ludat Apollo mihi?
Hic mihi magnanimi cerebro iouis edita Pallas,
Pegasæ dominam quam uenerantur aquæ,
Scribe nisi, Aonijſ prosunt tua carmina Musis
Quilibet hæc æqua mente probabit, ait.
Collapsam calamo, pietas iuuat ista tonantem,
Te decet in primis restituisse scholam.
Carmine perfecto doctus gaudebit Homerus,
Lætus & ante alios ipſe Sybæus erit.
Ista Vogelmannus caro cum patre probabit,
Scripta tuo, præco fortis uterq; Dei.
Applaudesq; tuo forsan Scurmanne fauore,
Saluifci tradens dogmata uera Dei.
Hic ego deposito, qui pinxerat ora pudore,
Cum nostra tetigi dissona fila chely.
Ergo dum tua sacra cano castissima Pallas,
Incepti quæso flecte laboris, iter.
Tu rege consilijs actus dea maxima, nostros,
Namq; opus hoc laudi seruiet omne tuæ.
Sit tenuis mea Musa, licet, nec carmine diues,
Te pulsare tamen plectra iubente studet.
Sit uoluisse satis, saltemq; probanda uoluntas,
Thuricremis quamuis det sacra nulla foci.
Non semper tauros & magnos, respicit, hircos
Iuppiter, interdum thura cremata, iuuant.
Ipsa licet Baucis paruis habitaret hipecis,
Te tamen hospitio Iuppiter alte, capit.

B 2 Sic

Sic, licet, à riuo procedat paupere nostrum
Carmen, & hoc nullæ confariantur opes:
Hoc tamen ut gratum semper mea Pallas habebis,
Lectoriq; dubis, quo placuisse queat.
Semper in hoc Christus cœlestis imago parentis,
Clementer doctus colligit, orbe, scholas.
Et celebrans aliquis ucrè sua numina cœtus,
Sit spretus quamvis exiguusq; fuit.
Hunc inter mundi multos tristesq; tumultus,
Præsenti semper seruat alitq; manu,
Ordine si numeres totius prælia mundi,
Congressus regum dissidiumq; ducum,
Vera tamen uiguit sua Christo Ecclesia, cœtus
Liber ab immitti hic obsidione fuit.
Et uelut Amramides medijs seruatur in undis,
Et tua tuta mari Paule Phaselus erat:
Non secus eripitur medijs Ecclesia bellis,
Et secura maris nauigat inter aquas.
Vela feris pandit uentis, se fluctibus offert,
Sed nequeunt firmæ soluere membra ratis,
Prouidus Antenna residet moderator in alta,
Languida cum nautæ membra sopore iacent.
Si quid forte mali tacitus tentauerit hostis.
Prospicit, aut latitet si qua Charybdis aquis.
Non sua iucundo committit lumina somno.
Sed uigil in summa est nocte dieq; domo.
Fœlix ò nimium fœlix, nimiumq; beatus,
Custodem cuius nomine Christus, agit.

Huic

Huic, licet innumeras ponat turba impia technas,
Aut aliqua tacita parte nocere uelit,
Liber ab insidijs tamen est, seruatur, & inter
Nauigeras placido lumine dormit aquas.
Siue laboriferos cœlo Titania currus
Efferat, ac roseo prouehat ore diem.
Prona uel Occani nitidum caput abdat in undas,
Et secum noctis somnia nigra trahat.
Non tamen insidiæ, nec uis truculenta nocebit,
Qui possunt uera mente timere Deum.
Hunc igitur pura custodem mente uereri,
Illijsq; sequi cœlica iussa decet,
Et qua seruari ratione Ecclesia Christi
Possit, in hoc mundo res satis ipsa docet,
Sacra parent urbes castis delubra Camænis,
Sint pueros possint qui docuisse pīj.
Quisque suos ducat Musarum ad flumina natos,
Quaq; potest doctas adiuuet arte scholas.
Quæ si deletæ fuerint, sine honore iacebit
Omne quod in mundo est, religionis opus.
Tunc pietas accepta Deo, cultusq; probatus,
Et quæ iustificat concidet alma fides.
Sacramentorum uerus mutabitur usus,
Et corrum pentur cœlica uerba Dei.
Tunc Anabaptistæ læti sua gaudia ducent,
Ut ponant animis retia tecta pījs.
Eijciant escis teclum fallacibus hamum,
Hæc uia uera canent, hincq; petenda salus.

B 3

O quo-

O quoties, falsum, dicent, docuisse Lutherum,
(Cuius ut optamus, molliter ossa cubent.)
Culpabunt quoties facundi scripta Philippi,
(Viuere quem sanum tempus in omne, precor)
Stulta uelut uolucris, petit aucupis abdita cauti
Retia, nec quicquam credit adesse mali,
Hærentem donec plumis apprendat & alis,
Sollicito nec non carcere claudat auctm.
Sic homines blandis capti sermonibus hostis,
Credunt, nec fidei damna futura uident,
Hostis ubi captos cernit, totosq; ligatos,
Protinus ingenti uoce triumphat, ouans.
Gaudet in inferno Stygius cum coniuge Pluto,
Ereptas animas hac ratione Deo.
O hominum captas cæca caligine mentes,
Quantum uestra nigræ pectora noctis habent.
Qui non insidijs obsistere discitis istis,
Diuinamq; pio corde rogatis opem.
Credite sub blandis latitant Aconita loquacis,
Atq; sub Hybleo melle uenena iacent.
Ecce cucullati spreta sub imagine porci,
Insidias ponunt nunc tibi Christe suas.
Prodigiosa gerunt uelamina. monstra putares.
Qualia in antiqua gente fuisse, ferunt,
Arcadicis posses, natos iurare, Leænis,
Nutritos Lybicis atq; putare lupis.
Non Centaurorum species fuit ista ferorum,
Quosq; ferunt, centum sustinuisse, manus,
Turba

Turba quidem sancta est, nec religiosior ulla,

Projecta in terram pectora et ora gerit.

Sæpe manu feriunt pectus, quotiesq; retractant

In triujs uitæ facta priora, gemunt.

Sæpe sua in platea sustollunt uota, frequenter

Suspirant, oculos sydera ad altera leuant.

O pietatis amans turba, o bene cognita coelo,

Scilicet hanc natam dixeris esse, dijs.

Hec quoties cernit uulgas mutabile monstra,

Cultus hic est ueræ religionis ait.

Hunc placuisse Deo, macies pallorq; probabunt,

Illa mihi posthac ingredienda uia est.

Hanc sequar, et sanctæ fiam quota portio turbæ,

Huius ego consors religionis ero.

O homines quorum folijs leuiora caducis

Pectora, quos uero demouet aura Deo.

Credite sub dulci latitant fera Melle uenena,

Nec tranquilla suo gurgite lympha, caret,

Hac uos illudit crudelis, imagine, Daemon,

Offunditq; uasfer nubila multa pijs.

Effingit proprios fallaci pectore, cultus,

Quos, ait, ut ueros instituisse, Deum,

Vtq; fides fiat, summis altaria templis

Construit, haec statuis condecoratq; suis.

Hæc iubet impleri multis pro crimine donis,

(O nimium proprij prouida turba boni.)

Hæc ueneretur, ait, quisquis saluarier optat,

Ante horum facies uota precesq; ferant.

B 4 Cogit

Cogit adorari defunctos tempore longo,
Sanctos, et fingit numina uana sibi.
Hic Annae statua est, illic est Barbara uirgo,
Nomine que uero Barbara dicta fuit.
Illic Christophori moles est picta Gigantis,
Nauigio praesens, improbe nauta tuis.
Quisq; suis duro confidit tempore diuis,
Auxilia in uero sint quasi nulla Deo.
Proh superi, quam tale diu mala turba loquetur?
Incidet in poenas improba quando suar;
Si coeli uobis concessa est ulla potestas,
Si regitis terræ climata lata Dij,
In iustum tandem precor exardescite poenam,
Qua poterit poena dignus hic esse furor;
Surge Deus, rasos tandem compesce Tyrannos.
Cyclopes, pereant, qua periere manu.
Sume manu, ueluti quondam, tua fulmina forti.
Atq; malus faciem decidat ante tuam.
Te serpens fortem stygius fateatur Athletam,
Et robur dextræ dicat inesse tue.
Nec sua saluifico rapiatur gloria Christo,
Quo solum salui iustificante, sumus.
Qui cruce sublatus pro toto, uictima, mundo,
Sanguinea referat limina clausa poli.
Hoc solum Domino saluos nos credimus, iram
Morte sua solum, sustulit ille tuam.
Ille uetus moesti crimen delcuit Adami,
Restituit stulta poma resecta manu.

Hoc

Hoc igitur Domino fulgentia limina cœli
Omnibus ætherei sunt adaperta pijs.
Ergo quid te falsa iuuant mendacia Papæ,
Qui stygium triplici gutture uirus alit,
Vertice fulgentem gemmis, auroq; Coronam,
Quæq; nutent dextra laſpide ſceptra gerit.
Scilicet imperium ſupra geris ardua mundi
Climata, te cœlum Tartara eſt ima timent.
O fœlix gestas qui cœlica ad atria claves,
Et reſerare potes maxima regna poli.
Sed niſi decipiunt gelidæ me ſomnia noctis,
Non capient claves atria tanta tuas.
Limina iam dudum patuere Acherontis auari,
Quæ tibi cum ſocijs, ſunt reſerata, tuis.
Hac ſacer Antiftes Romanæ (ignoscite) ſedis
Ibit, eſt hanc ſcandet rafa caterua uiam.
Ignaro iactat ſua quæ mendacia uulgo,
Et cingit populum, fraude, doloq; rudem.
Promittit uitæ delentes crimina bullas,
Non his religio ſanctior eſſe potest.
Has ut poſſideat, dum quærit dedita uentri,
Turba per immensum currit anhela fretum,
O hominum tenebras, o diri aſtutia Papæ,
Viſ etiam magna eſt Romula bulla tibi.
Num taceam Miſſasenum Thura cremata per ardeſſe
Versibus Exequias præterijſſe decet?
En uelut, ex pigro ſurgentēs mane, ſopore,
In ſacris tendunt brachia lata ſuis.

Iamq; preces fundant (si non sua scorta retractant,
Quamq; leuent docta pocula plena manu)
Hastamen ingentem delicti tollere molem,
Clamant, et cœli pandere claustra uiæ.
Lustralem spargunt uerbisq; precantibus undam,
Hancq; docet stygius corda lauare Draco.
Abluit hæc fôrdes, inquit, mala crimina tergit,
Pectora quo fiant candidiora niue.
Christe Deus pariter, pariter cum patre gubernans
Qui fueras cum non terra nec unda fuit.
Quam nos ficta diu ludent mendacia Papæ?
Quando horum tandem, dic age, finis erit?
Anne tuo perget librata m sanguine turbam
Postmodo figmentis ludere, Christe suis?
An tua doctiloquo rursus purgata Luthero,
Templa premet tenebris Papa Sathanq; nigriss^e
Surge pater, cape tela manu, cape fulminis arcum,
Illicet Ausonius sentiat illa Draco.
Suis Romana cadat, sua sancta cadatq; caterua,
Deijce signiferos maxime Christe suos.
Vos quoq; terrigenæ tenebras postponite uestras,
Rectaq; magnanimum uertite ad ora Deum.
Nil uos Thura iuuant, nil bulla nihilq; boatus.
Læditur hac falsa relligione Deus.
Nil quoq; lustralis prodest conspersio lymphæ,
Nil iuuat altisono, Missa perosa Deo.
Nostra salus Mariæ est proles sanctissima, ab illa
Vita, salus, bonitas non aliunde uenit.

Spargit

Sfragit & Hyssopo credentis pectora Christus,
vulneribus sanat uulnera nostra suis.

Ille suas ulnas pandit, sua brachia tollit,
Nos uocat ad uitæ, gaudia multa suæ.

Quid cessatis? ait, propere huc mea turba uenite,
Pectora læticij uestra leuabo nouis.

Quisquis erit tristi peccati mole grauatus,
Et quemcunq; fames anxietasq; premit,
Huc ueniet, gratis præsentia pharmaca morbus,
Accipiet, uitæ criminè liber erit.

Per me sanus erit per me sua corda quiescent,
Vera ego credenti petra salutis ero.

In me cuncta patrem quæ placant sacra uidebit
Munera, uos uera carpite tanta fide,

Carpite tanta fide, nec enim me uestra iuuabunt
Aut opera aut meritum, sed sacra sola fides.

Hæc est o Christi iactantes nomina regis,
Ad uitam uobis quæ gradienda uia est.

Linquite nunc igitur mendacis somnia Papæ,
Sit uobis uitæ regula certa Silbo.

Doctrinamq; huius puram sit cura tueri,
Ne cadat ad stygios comaculata lacus.

Sint uobis docti uera pietate ministri,
Pro uerbo capiant qui pia tela Dei.

Nec proprio ducti contemnant publica lucro,
Quod fieri nostro tempore sæpe solet.

Ergo ministerium quo sit sine labore Tonantis,
Pignora ad Aonias ducite uestra scholas..

Ardue

Ardua Pierij conscendant culmina montis,
Arte decet teneros erudiisse satos.
Dulcia musarum capiunt ita dona sororum,
Ac Heliconæo flumina grata lacu.
Hic puer Aonidum saltus lususq; uidebit,
Atq; poetarum carmina, plectra, Chelim.
Grammatice primo est hic ediscenda labore,
Munera Castalidum, qua sine, nulla feres.
Hæc est quæ sacras te primum dicit ad undas,
Auxiliatricem porrigit atq; manum.
Sæpius imperiosa puer tibi uerba loquetur,
Effundet rigidos sæpius ore sonos.
Tu tamen obdura, uinces hæc cuncta ferendo,
Differ, habent paruæ commoda magna moræ.
Rectius utq; feras opus est mandata labore,
Quo uendunt homini munera quæq; Dij.
Δύσφορα τόντα πόνος uincit, tu sedulus insta,
Pro sudore dabunt δῶρα θεοῖσι θεοῖ.
Cæsia diua domos inter tenet ardua cœli,
Culmina quæ uincunt, saxa Pelore tud.
Et uia fulgentem gemmis quæ dicit ad aulam,
Est mirum spinis, obsita tota nigris.
Hic sentes, taxum, salicesq; uidebis aquosas,
Hic tiliæ, corni iuniperusq; leuis.
Hæc pedibus cum uicta uia est, en flumina restant,
Quæ naues renuunt improbe nauta tuas.
Non hæc remigio, sed nudo pectore uinces,
Hic inter Boreæ tela natare iuuat.

O quoties

O quoties amissa semel te ad littora uentus
Defessum medio flumine vastus aget?
Quid? num de ueteri, puer ingeniose labore
Desistes? uentis ut superatus eas.
Ne cedas, nec uicta cadant tua membra labore,
Est uia, tu solum perfice copta, breuis.
Tunc ubi uictor abis, spoliumq; ad littora portabis.
Ecce Iouis Natæ regna domosq; subis.
Atq; tibi occurret succincta ueste Mincrua,
Et tua in amplexus pectora claudet, amans.
Huc age, nate ueni nobis dulcissime dicet,
Hæc domus, hæc rupes, hoc penetralc meum.
Turba nouenarum necum hic sedet alma sororum,
Vatibus hic dicto carmina casta meis.
Hæc Phœbi domus est, ad cuius plectra choreas
Ducimus, & fontem hunc ungula fecit equi.
Illicet aduenient cantantes ordine Musæ,
Inq; tuas figent Basia casta genas.
Dulcia defesso portabunt pocula uini,
Apponent mensis, ambrosiamq; tuis.
Cætera quid referam? nil non optabile cernes,
Aerumnae ueteris tunc meminisse iuuat.
Ergo puer pigro tua pectora tolle sopore,
Obscura tandem pectora nocte leua.
Arripe, quid cessas? studiorum nate labores,
Sudorem expectant præmia magna tuum.
Vos simul hortantur canos, mea carmina, patres,
Ut committatis pignora uestra scholis.

ille

ille Deo gratus, cultus, sic omnia uobis,
Cœpta operis uestri commodi ora cadent.
Vos quibus imprimis sunt publica commoda, curæ
Dirigite in uestras lumina uestra scholas.
Officij memores, musas releuate, iacentes,
Vos studijs sitis portus & aura pijs.
Nomina sic docti celebrabunt uestra poëtæ,
Vnde fluunt uobis gloria, fama, decus,
Nam, si uestra, uiri, studiorum cura peribit.
Quæ rursus tenebræ, nox quoq; quanta, ructe
Tollatur uestro, solum Dialectica ludo,
Et quæ cernetis damna futura sient.
Pro uero speciem sæpe apprendetis inanem,
Vos ludet nugis quisq; Sophista suis.
Ornatus ueniet preciosa ueste, Papista,
Garritu perdet nescia corda, suo.
Quæq; prius ueri, recte docuere, ministri,
Arguet ut Stygius dogmata false, draco.
In tantos igitur, quo spicula certa, furores
Mittatis, logicæ firma pharetra, iuuat.
Hanc igitur discat patriæ Studioſa iuuentus,
Defendat dextra uindice, ut omne, manu.
Sola sacri, referat sedem Dialectica, fontis,
Hæc Aganippæas sola recludit, aquas.
Hæc aditum reliquas, certum tibi præbet ad artes,
Bibliaq; hac fiunt lucidiora magis.
Hæc Anabaptistæ nugas eludit, & omnes,
Quas parat insidiæ impia turba bonis.

Hanc

Hanc igitur prima discas ætate, iuuentus
Tela, Dei uerbum quæs tueare, cape.
Prætereo reliquias nostris, modo, uersibus artes,
Quæs uitam ornabit prima iuuenta, suam.
Quid motus dicam, quid celsi sydera cœli,
Et quibus incedant legibus astra, polo.
Omnia uera Dei nobis uestigia monstrant,
Deq; sua nec non agnitione, docent.
Cætera prona quidem spectant animalia, terram.
Ast homo sustollit solus ad astra, caput.
Solus homo cœli labentia sydera cernit,
Ordine quoq; suo lumine Phœbus eat.
Pallida quaq; regat Phœbe ratione caballos,
Cur modo leta siet, cur modo tristis cat.
Et cur incertis uoluatur cursibus annus,
Cur modo uer nitat, sit modo tristis hyems.
Anne tacere decet linguarum dona sacrarum,
Quæ uincunt multas totius orbis, opes.
Non hæc fortunæ sparguntur munera casu,
Sed sunt solius munera certa Dei.
Munera, facta Dei, quibus inclita dicere fas est,
Clementemq; decet concelebrare patrem,
Hæc sunt terrigenum de sancto flamine in ora
Missa, satis tanquam uerba sacra, docent.
Hoc est Ebreae decus indelebile lingua,
Usus qua summus dicitur esse Deus.
Hac ueterem fertur Deus appellasse parentem,
Cum uerbo ex nihilo condidit omne suo.

Prodita

Prodita & hac lex est, sublimi rupe Syonis,
Quæ nostræ uitæ regula certa foret.
Hac etiam nobis dulcis promissio facta est,
Olim uenturus quod sit ab axe Silho,
Atria qui summi linquens fulgentia cœli,
Induit humanum corpus & ossa Deus.
Et cum cœlesti sublimis in arce federet,
Descendens hominis putrida membra capit.
Nascitur ex Marie rex præclarissimus aluo,
Exq; Palestina uirgine prodit homo.
Adfixus tandem mananti sanguine ligno,
Pro nobis soluit debita lytra, patri.
Horribiles placat cœlestis pectoris iras,
Quas ullus nunquam sustinuissebat homo.
Sic iter æterni fecit remeabilæ uitæ,
Æthereum nobis sic reserauit iter.
Arrige nunc igitur cum motu pectoris aures,
Linguarumq; auida munera carpe manu.
Bethlaq; quem genuit potes hinc cognoscere regē.
Regem quem dominum regia quæq; colit.
Quæ sua sit disces, linguis diuina uoluntas,
Nam declarat opus hac ratione suum.
Protulit in summa rorantis rupe Sionis.
Immotæ legis dogmata sancta suæ.
Sæpius estq; pio cum Mose locutus in alto,
Reddit & Amramides mutua uerba Deo.
Ebreis facta est suavis promissio uerbis,
Pectora quæ dulci mœsta salute leuat.

Virgineo

Virgineo ueniet diuinum semen ab alio,
Tela quod infernæ conteret atra Stygis,
Captiuos redimet, soluet quoq; compede uinctos,
Soluere quos poterat nullius ante manus.
Gaudebat stygius deceptos fraude Tyrannus
Terrigenos, nostra clademq; latus erat.
Atq; ita se laqueo ducturum nostra perenni
Callidus infernis colla putabat quis.
Sed Deus ex alto, cernens mortalia, iusto
Lumine, turba inquit, hæc redimetda mihi est,
Namq; feræ clades, misericordia mortalibus instent,
Ni nostra ex illis, eripiantur ope.
Nil propria uirtute queunt, turba inscia ueri,
Proq; suis captat deteriora bonis,
Mittendus nostra est de sede salutifer orbi.
Ille homo si nescis, Christuss Iesus erat.
Hunc cognosce, salus datur hinc, habet ille Tyranni,
Quæs frangas stygijs spicula firma manus.
Ergo qua discas Christum ratione iuuentus,
Imbibe, præcipuum hoc noueris esse decus.
Israëlingenam studias cognoscere linguaam,
Qua sacra (nil dubites) Biblia scripta uides.
Quæ si barbarico, uelut olim, mersa iacebunt
Puluere, nox studijs quanta futura breui est
Omnia si ueteri caligine tecta legentur,
Quantus in his hominum mentibus error erit
In tenebris ueluti nauis si nocte uagetur.
Nescia mens linguae sic pia scripta leget.

C

Sæpius

Sæpius Ausoniæ fraudes technasq; probabunt,
Hicq; Dei, dicent, cultus honorq; fuit.

Dogmata laudabunt plenis Monichalia buccis,
Exclament, ô quam sancta cuculla fuit,
Atq; fuit pietas rasorum uera Draconum,
Vndiq; quos uestis prodigiosa tegit.

Nostraq; lustralis pure tunc unda lauabat
Pectora, nec sordes, nec fuit ulla lues.

Crimina delebat sacræ recitatio Missæ,
Huius sancta pium bullaq; pignus erat.

Nunc boat in templis addicta caterua Luthero,
Sola fides iustos, non opera ulla, facit.

Hinc mouet ingentes atrox Bellona tumultus,
Hinc error, lites, dissidiumq; uenit.

Contendunt inter reges se litibus omnes,
Quælibet obsceno sanguine fossa, fluit.

Alter, ait, sancti doctrinæ scripta Lutheri
Vera, sequens Papam falsa sed alter ait.

Hæc dubio uulgas mutabile spargit ab ore,
Nec quæ sint tuto castra sequenda uidet.

Ergo uiri dextra qui publica sceptræ tenetis,
His damnis uestra subueniatis ope.

Ebræos uestram pubem deducite ad hortos,
Hospitia ingenuis & date tuta scholis,

Hic fido discet iuuenis monstrante magistro,
Quæ sint diuinis tradita uerba libris.

Quiq; Deo placeant cultus, quæ sacra requirat,
Quaq; uolet, semper, se pietate coli,

EB

Et miseras animas Romana palatia cernet,
Ad Phlegetontæas ducere semper aquos.
Propterea Papæ cultus ridebit inanes,
Illudet uentres, quæ docuere sui.
Sic quæ sit ueræ certissima meta salutis,
Ostendet plebi sedulitate rudi.
Sic uestri ciues, ac subdita turba, Senatus,
Sub summi uiuet, tuta fauore Dei.
Sic Euangeli purè uox grata sonabit,
Perpetuoq; manus uos teget umbra Dei.
Fœlices istis quæ fulgent dotibus urbes.
Maxima est est quarum noscere cura Deum,
Præ reliquis fulget uere Respublica fœlix,
Quæ fouet ingenuas cum pietate scholas.
Quæq; leuat turpi fœdatas puluere linguas,
Quas modo contemni quolibet orbe eor.
Nullus ad Ebræas tendit properatq; puellas.
In quarum tamen est forma uenusta genis.
Tempora purpureis uiolis cendentia cingunt,
Et ponunt domino læta trophæa suo.
Saepè uocant tenero segnem tardamq; iuuentam
Ore, sed est surda quilibet aure puer.
Et potius nugas stultè comitatur aniles,
Nec patriæ tentat consuluisse suæ.
Hinc illæ tenebræ, nox hinc densissima surgit,
Barbaricoq; iacent Biblia tecta situ.
Quisq; suo studio præclara uolumina querit,
Et Postillarum pondere templa grauat.

C 2

Hæc

Hæc tragica recitat clamosus ut histrio uoce,
Et fontes tacito præterit ore sacros.
Concio diuinis non stat sua fixa prophetis,
Atq; latina loqui uix tria uerba potest.
O quam pastores aris cœlestibus apti,
Quam digni, ut faciant sacra probata Deo.
Quam meritò uobis commissa Ecclesia Christi est,
Pascatis uestro quam sine fine sono.
Ducatisq; gregem prati in loca pinguis Christi,
Ne morbo in sterili corripiatur agro.
Aut ne forte lupus tenebrosis montibus errans,
Desertum rapido deuoret ore gregem.
Conficio multis fieri regionibus illud,
Quæ tamen à Christi nomine nomen habent.
Pastores fateor magnis ceruicibus ille
Iactant, delicijs hos aluisse uolunt.
Ante horum in uultus flectunt sua colla pedesq;
Ni fallor, cœli numen habere putant.
Dic age, num Christi sacro sermone cateruam
Pascunt? digna utrum nomina rebus habent?
Scilicet in plenis, pascunt sua uiscera, cellis,
Mente parum sana mænides inter eunt.
Et Paphios celebrant ignes, sua scorta sequuntur,
Nec pudet hæc propria sustinuisse domo.
Dum sua Christiadæ seruiret concio plebi,
Hæc Bacho cantat carmina turba suo.
Atq; litat Veneri, cæcæq; libidinis æstus
Implet, et in turpe est ingeniosa scelus.

O pictas

● pietate exosa Deo, cui digna rependet
Munera, de cœlo qui uidet omne, Deus.
Ille est pastor amans ouium, custosq; fidelis,
Qui facta perdet relligione uiros.
Nos potius sanctas meliori mente sequamur
Linguas, sic uerum noscimus esse Deum,
Sic fugimus uani mendacia turpia Papæ,
Quicis torquet sacros turpis Echidna libros.
Hebreæ satis est hæc commendatio lingue,
In qua paruus apex commoda magna notat.
Hanc puer admonitis parens carissime nostris,
Arripias, patriæ sit tibi cura tuæ.
O quoties sacros tradensq; legensq; prophetas.
Verba Draconites protulit ista pius.
Hæc maiestatis diuinae est Theca loquela,
Cum Græcis puer hanc imbibe, caste sonus.
Prætereo relliquas nostro modo carmine linguas,
Ne nostrum multo pondere crescat opus.
Nam si persequerer Danaæ commoda lingue,
Deficerent Musis ora sonusq; meis.
Deniq; si Latij sermonis commoda narrem,
Est opus immenso nunc Helicone mihi.
Omnia me melius, prudentia uestra, uidebit,
Nec puero fas est edocuisse senem.
Consulite ergo uiri rebus communibus oro,
Castalijs sitis portus et aura scholis.
Hic etenim uestri si cessent forte labores,
In uetus (haud fallor) decidet omne Chaos.

C 3 Officij

Officij memores sedem reparate Camœnisi,
Est uobis Musis, credite, digna domus,
Gymnasio credant patres sui pignora uestro,
Artibus ut crescant moribus inq; bonis.
Sic erit imprimis uobis Respublica fœlix,
Doctiloqui, tanquam, scripta Platonis habent.
Vestraq; sic stabunt, tranquilla mœnia pace,
Quæ narrant Martis bella timere feri,
Indoleo quoties nostris hæc fama Camœnisi
Narratur, gemitus mente dolente traho.
Deuictas aliquis quoties mihi prædicat urbes,
Tristitia certe est patria, causa, meæ.
Armorum quoties congressus prædicat alter,
O utinam sospes sit mea terra precor.
Nec ferat horrendi uesanis militis iras,
Qui uelut Arcadicus omnia uastat aper.
Sepe ego pro uobis superos in uota uocaui,
O digni multa laude Chelyq; uiri,
Vos etiam nostris precibus coniungite, uestras,
Clamantes summus respicietq; Deus.
Urbis quoq; funde preces, & laxos cōtrahe mores,
Sic poteris medio turbine pace frui.
Mitis adest dominus, facilis, præsensq; precanti,
Et medias nauem dirigit inter aquas.
Mœnia nam bello cum iam deuicta uidentur,
Et submersa fero nauta ratisq; mari.
Ecce uenit dominus, quem pōtus & astra uerentur,
Diuina subito datq; leuamen ope.

Ille

Ille maris placat fluctus, Borealia frangit
Spicula, littoribus restituitq; uiros,
Ille domat solum reges arma arma crepantes,
Cumq; uiro fortis fulmine sternit equos.
Et quos nulla prius poterat cohibere potestas,
Ille sua pessum sternit agitq; manu.
Quod satis etatis monstrant hæc tempora nostræ,
Antiquis hic est non opus historijs.
Non opus esse reor, quo longa exempla petamus.
Prælia sed satis hoc nuperiora docent.
In quibus est princeps prostratus nomine Magnus,
Imperio magnus, nomine magnus erat.
Ecce tamen Deus est hoc multo principe maior,
Quo cadit ad Stygij regna uolente, lacus.
Maximus ille quidem, neq; n. est hoc fortior heros,
Scrutatur solus corda renesq; Deus.
Hunc imploremus dominum, iuuat ille supremo
Tempore, clamantes non perisse finit,
Ergo sunim quatiat quanquam Bellona flagellum,
A domino tamen est certa petenda salus.
Marmarici quanquam meditentur dira Leones,
Pro nobis tamen est qui gerit arma Deus.
Multæ Erimantheo fuerat violentia in apro,
Deuicti laudem sed Meleager habet.
Sic licet ille suas sustollat in æthera cristas,
Sæpe tamen fortem sentiet esse Deum.
Vos tandem memores diuinæ munieris este,
Et Musas uestra quæso fouete manu.

Exilio tandem doctas reuocate Camoenas,
Artibus hospitij ferteq; tecta pij.
Pellite quos nunc scitis opes lacerare piorum,
Delitijs nec non consuluisse suis,
Quos doctos scitis, nec non pietatis amantes,
His semper sitis portus & aura uelim.
Hos licet ut Lazarū spernant domibusq; repellant,
Canonici pingues Cardaneaq; sues.
Cygnæo tamen est quorum depicta colore
Barba, patrocimo suscipite usq; pio.
His sitis murus, turris, fulcimen, eosq;
Sit pia iam doctos cura iuuare senes.
Astra etenim tempus, uenturum certa minantur,
Et uenisse, bono dicere iure, potes.
Quo Deus hos uentreſ, ad inania tartara, mittet,
Plectendos stygio carnificijs dabit.
Sed ne forte uiri, longo, uos carmine lædam,
His mecum precibus claudite scripta, precor.
Omnipotens & caste Deus, liberrime, uerax,
Quassatæ quæſo dirige nauis iter.
Hoc tibi dilectum mundo iam collige cœtum,
Qui celebret laudes tempus in omne tuas.
Quæſo tuum semper tutum tucaris ouile,
Ad pacem regum pectora flecte Deus.
Atq; tui præsens alas extende fauoris,
Ut nostrum fœlix aura secundet iter.

FINIS.

HYMNVS GERMA- nicus. Kompt her zu mir spricht Gots- tes Son etc. Versus ab Alber- to Lenicæro Heruor- diano.

Vos mihi Christus ait soboles & imago parentis
Quos graue peccati pondus adeste premit.
Huc quem cura grauis uexat mœstijs dolores.
Cum senibus iuuenis fœmina uirq; ueni.
Quas habeo capietis opes, uestriq; leuamen
Et Medicus præsens ipse doloris ero.
Suaue iugum nostrū, leuis est mea sarcina, quisquis
Hanc placida portat mente beatus erit.
Ipse ego suscepi ueniam pars magna laboris,
Nec sub mole mea deſtituentur ope.
Me duce quicquid erit graue uincet, uictor abibit.
Me monstrante Dei cœlica regna petet.
Quicquid in hoc docui, quicquid sum passus in orbe
vos decet assidua ſedulitate ſequi.
Vestra igitur ſuperis, ſic dicta & facta placebunt,
Si uero fient illa timore Dei.
Ac ea coeleſti nunquam mercede carebunt,
Pro factis uenient præmia multa bonis,
Æthereas ſiquidem mundus deſiderat arces,
Atq; uidere poli regna beata cupit.
Sed duram tolerare crucem, mœſtosq; dolores
Sollicito nimium quilibet ore negat.

C S

Scd

Sed quemcunq; Dei iuuat oblectatio regni,
Mansueto discat pectore ferre crucem.
Quicquid enim lati complectitur orbita mundi,
Quicquid alit tellus, quicquid ex æquor habet.
Quicquid ubiq; uiget, testis certissimus extat,
Nullum posse suam præteriisse crucem.
Hanc igitur qui ferre negat, contraq; repugnat,
Hunc stygis infernæ poena cruenta manet.
En nunc fortis homo est, ex primis integer annis,
Et graue formoso corpore robur habet.
Sed modo membra trahit turpi squalentia morbo,
Obscuræq; diem mortis adesse petit.
Nam ueluti pereunt decorantes pascua flores,
Sic mundi in nihilum forma uenusta cadet.
Terrigenæ fugiunt uelut ignea fulmina mortem,
Terribiles uultus illius ante tremunt.
Extremumq; uident dum uitæ tempus adesse,
Pectoris incipiunt criminæ nosse sui.
Atq; ita dum rebus fulsit fortuna secundis,
A Eternæ nunquam cura salutis erat.
Fulgida dumq; ferit mœsto pede limina Clotho,
Sanguinea uibrans telaq; certa manu.
Tunc tandem miseris soluunt ploratibus ora,
Præsentemq; uocant in sua uota Deum.
Gratia sed uereor quam neglexere uolentes,
Ne stygijs miseros diua relinquat aquis.
Non hic diuitibus locuples possessio rerum,
Nec prodest forti dextra animosa uiro.

A

At cunctis calcanda uia est tristissima læthi,
Linquendus certo tempore mundus erit.
Regna aliquis teneat lati licet omnia mundi,
Sub leges tamen hunc mors uocat atra suæ.
Non doctos doctrina iuuat, non nomina laudis,
Non honor, aut aliæ quæ habet orbis opes.
Omnia prætereunt, fœdus sunt omnia puluis,
Omnia prætereunt, omnia mortis erunt.
Ergo homo cœlestis dum fulget gratia regni,
Quære Deum, nulla est post mala fata salus.
Huc agite & chari uigiles attendite nati,
A Eternus quorum spes erit una Deus.
Non uos ullius pudeat pigeatq; laboris,
Sit uerbum uobis anchora certa Dei.
Ille etenim requies, spes, consolatio, uita,
Lætitijs spargit pectora uestra suis.
Non uos uexet amor, seu cœca libido nocendi,
Et mala pro factis reddite nulla malis.
Quamuis multa mali dicant opprobria uobis,
Vestra tamen uerbum sit Cynosura Dei.
Qui super alta sedet iustus Deus arbiter orbis,
In poenas illos quæ meruere trahet.
Perpetuo lætis si uos fortuna foueret
Rebus, si nunquam fors inimica foret.
Tarda statim superum uenient obliuia uobis,
Ardor & in uestro pectore nullus erit.
Aduersis igitur tentamur casibus omnes,
Postmodo ut æternas accipiamus opes.

Si

Si uos mæror habet, si uos sors aspera uexat,
Si grauis apparet crux toleranda nimis.
Sepe animum subeat, quantis cruciatibus orcus
Flagret, quo præceps impia turba ruit.
Atq; ibi terribiles patitur sine fine dolores,
Quos poterit nullus diminuisse dies.
Sed iuga qui fertis patienter dulcia Christi,
Gaudia uos cœli non peritura manent.
Gaudia quæ nulli toto sunt cognita mundo,
Quantaq; quotq; sient nullius ora canent.
Hæc uobis lati gratis dabit arbiter orbis,
Hæc mansura pijs præmia semper erunt.
Nec dubitare decet, certa est promissio cœli,
Non poterit quenquam fallere dextra Dei.
Namq; Deus proprio uobis sub nomine iurans,
Immemor haud facti foederis esse potest.
Cuncta dabit propter dilectum munera natum.
Inter & angelicos uos uehet ille choros.

A M E N.

136778


X 1378946

VD 17

Farbkkarte #13

B.I.G.

Black	
White	
Magenta	
Red	
Yellow	
Green	
Cyan	
Blue	



CARMEN
ELEGIACVM AD
P.RVDENTISSIMVM
OMNIVMQUE VIRTVTVM LAV-
de prestantem: Heruordianæ ciuitatis Sc-
natum, de instauranda schola,
scriptum

ab

ALBERTO LENICAE,
eo Heruordiano.

AD LECTOREM.

Non rigida sed mente pia uerumq; probante,
Accipe primitias Lector amice meas.
Non opus, at potius nostra est spectanda uoluntas,
Qua cupimus studijs consuluisse sacris.

VVITE BERGAE
excudebant Hæredes
Petri Seitzij.

1554.